



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]
voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

Tit. VII. Ne Sede Vacante Aliquid innouetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

NE SEDE VACANTE ALIQUID
innouetur. Tit. VII.

Archiuum Episcopale qualiter post mortem Episcopi custo-
diendum; & de eius ratione reddenda.

Cap. I.

VM primùm Episcopus mortem obierit, Archiuum Episcopalis
claves, Notarij publici fide; una capituli Vicario, altera uni
de capitulo, ad quem uel officij ratione, uel consuetudine perti-
net, siq; nemo talis est, alij antiquiori residenti, tradantur; ab
eisdemq; una, & item altera asseruetur, quoad alius Episco-
pus creabitur; cui illas restituant, & rationem de scripturis in inuentario no-
tatis, c. eorumq; custodia commissis, eidem reddant.

c. Cõcil.
Trident.
Sess. 24.
c. de re-
form. 16.
in fine.

Excommunicationis lata sententia contra inuasores bonorum Ec-
clesiasticorum, Clerico mortuo, etiam quotannis pro-
mulganda. Cap. II.

Nonnulli homines ad id temeritatis saepe veniunt, ut Clerici mortui
bona inuadant; unaq; cum ijs illa saepe, quæ etiam Ecclesiæ ministris
in mortui locum succedentibus debita sunt, & Ecclesiæ item, cui, dum
in vita ille esset, inseruierat, bona sacrilegè subripiant: quare pœna excom-
municationis lata sententia vetamus, ne clerici mortui, qui, dum uiueret, Ec-
clesiasticum beneficium obtinebat, bona ad Ecclesiam, eiusue ministros perti-
nentia, quisquam temerè inuadat, atque auferat.

Hoc autem decretum semel quotannis à Parochis in diœcesi promulgetur.

Quod supra, etiam contra quouis modo exportantes aliqua bona vt-
supra, nullo confecto inuentario, obseruetur.

Cap. III.

Quod superius, pœna excommunicationis proposita, contra eos sanciu-
mus, qui Ecclesiastici hominis mortui bona, uel temerè inuadunt, uel
surripiunt; eo decreto illos item astringi volumus, qui uel nulla inuasionè, aut
vi facta, ex illius mortui Clericalis hominis ædibus supellestem, rem uel ob-
lata, seu scripta ad Ecclesiam, cui ille Rector præerat, pertinentia, ante aspor-
tant, aut euehunt, quàm ab illo, cui id curæ ab Episcopo commissum est, in in-
dicem relata sunt illius mortui bona mobilia, libri, & scripta, ceteraq; eius
generis, quæ in hereditatem caderent. Hoc itidem decretum, ut illud, quo-
tannis de more promulgetur.